

etiam presente archiepiscopo, illum excommunicare poterit. » Cucch., *Inst. can.*, lib. iv, tit. *De consecrat. episc.*, n. 6, et tit. *De vicar. episc.*, n. 123; Sbroz uti supra, n. 3.

(4. Quæritur hinc, an liceat vicario generali archiepiscopi inhibere suffraganeis sub pœna excommunicationis?

« Respondetur negative, cap. 2 *De offic. delegat.*, ubi Glossa ... Quod est valde notandum ab omnibus ordinariis et delegatis apostolicis, quando inhibent episcopis, ne in errorem incidant. Ratio est quia vicarius archiepiscopi non potest ferre sententiam, vel exercere jurisdictionem, vel promulgare censuras ecclesiasticas in suffraganeos existente in provincia archiepiscopo ... quod procedit propter reverentiam dignitatis episcopalis. Sed intelligitur de sententia definitiva censurarum, et non quando vicarius generalis metropolitanus inhiberet sub pœna suspensionis seu interdicti. » Sic Pellegr., cit. part. 1, sect. 3, subsect. 1, n. 21. Atque ad rem citat Bertach. et Zerol.

(5. Quoad vero vicarium capituli sede metropolitana vacante, illud utique præmittendum, quod « capitulum Ecclesiæ metropolitanæ una cum archiepiscopo, non solum efformat corpus cathedraticum propriæ Ecclesiæ propriæque diœcesis, in qua prælatus gerit personam episcopi et ordinarii loci, sed etiam efformat corpus metropolitanicum cum jurisdictione in suffraganeos, totaque provincia, in qua pariter capitulum sede vacante succedit. » De Luca, *Relat. Rom. Curia*, disc. 3, n. 30.

(6. Hinc porro est, quod si episcopo suffraganeo decedente vel deposito, etc., Ecclesia illa capitulo careat, vel alias illius capitulum infra octo dies ad normam *Tridentini*, sess. xxiv, cap. 16, *De reformat.*, ad vicarium constituendum non deveniat, tunc vicarii hujusmodi deputatio non ad antiquiorem suffraganeum, sed ad capitulum metropolitanum, metropolitana sede vacante, omnimode spectat, ut declaravit quoad primum casum sac. cong. Concil. die 28 Augusti 1673. Secundo, « an vacante suffraganea Ecclesia, quæ capitulo careat, illius administratio, et vicarii deputatio pertineat ad metropolitanum? Et quatenus metropolitana Ecclesia pastore careat. Tertio, an pertineat ad capitulum Ecclesiæ metropolitanæ, vel potius ad antiquiorem suffraganeum episcopum? ... » Sacra cong. die prædicta respondit: « Ad primum affirmative; » ad secundum, « ad

capitulum metropolitanum. » Apud cardinal. Petra, *Comment. ad constitut. Apost.* tom. I, const. 2 Leon. IX, sect. 5, n. 36. — Quod idem est tenendum, ubi capitulum Ecclesiæ suffraganeæ ad electionem vicarii ad formam concil. *Trident.* non procederet.

(7. Quippe « capitulum metropolitanæ (ut docet idem clariss. Petra, *ibid.*, n. 37) habet superioritatem in Ecclesiis suffraganeis, ut bene in extravag. *Salvator*, De præbend. et dignitat., ubi in vers. *Et quia*, eximit Ecclesiæ Tholosanam ab omni jurisdictione et subjectione archiepiscopi et capituli Ecclesiæ Narbonensis, et sic supponit subjectionem Ecclesiæ suffraganeæ capitulo metropolitanæ ... Unde (prosequitur Petra), etsi concilium non exprimat casum capituli metropolitanæ, ut supplere possit negligentiam Ecclesiæ suffraganeæ in constitutione vicarii capitularis, non est dubitandum, quin intelligi debeat venire sub nomine archiepiscopi, quia devolvitur totum jus istius ad capitulum. »

(8. Limita quantum ad convocationem conc. provincialis, quæ per capitulum Ecclesiæ metropolitanæ. Sede vacante, fieri non potest, quo casu ad antiquiorem episc. suffraganeum illam cogere spectat. Quippe concil. *Trid.*, sess. xxiv, cap. 2, edixit, quod « metropolitani per se ipsos, seu illis impeditis, coepiscopus antiquior non prætermittat synodum cogere, » etc. Et profecto ante concilium id juris competebat capitulo metropolitanæ, ut Quaranta, in *Sum. Bull.*, v. *Concil. provinciale* ante n. 3, habet in hæc verba: « Ex verbis *Trident.* colligitur, hodie cessare potestatem capituli metropolitanæ sede vacante illud celebrandi ac suffraganeos convocandi, licet ante ipsum concil. *Trid.*, id poterat. » Quod idem tenet Petra cit. tom. I ad const. 2 Leon. IX, § 5, n. 38, ibi: « Ante concilium competebat hoc jus capitulo. »

(9. Hinc sac. congregatio Concil., in *Tarracon.* 10 Febr. 1624 ad dubium: « An capitulum Tarracon. possit, sede archiepiscopali vacante, indicere ac celebrare concilium provinciale; an vero hæc facultas spectet ad antiquiorem episcopum ejus provinciæ; » respondit, « jus provinciale concilium indicendi ac celebrandi sede vacante, non ad capitulum metropolitanum, sed ad antiquiorem provincie episcopum spectare. » Apud Bened. XIV, *De synod. diœces.*, lib. II, cap. 9, n. 8. *Vid. v. CONCIL.*, art. 2.

VICARIUS PAROCHIALIS.

De vicario parochiali hæc speciatim adnotanda.

(1. Vicarius parochialis alius est perpetuus, et alius temporalis seu amovibilis. Abbas, in cap. *Exstirpanda*, § *Qui vero*, num. 5, *De præbend.*; Azorius, *Institut. moral.*, part. III, lib. III, cap. 6; Barbosa, *Juris ecclesiast. univers.*, lib. III, cap. 9, n. 2; Layman, *Theol. moral.*, lib. IV, tract. 2, cap. 5, num. 8; Pellegr., *Prax. vicariorum*, part. I, sect. 8, n. 1, et alii passim.

(2. Vicarius perpetuus est, et dicitur ille, qui auctoritate episcopi canonice est institutus ad deservendum cuiusdam Ecclesiæ, loco principalis rectoris cum assignatione congruæ portionis fructuum, quos inde percipere debet. Sic in re communis doctorum, cum Glossa in cap. *Ex part.* 6, verb. *Perpetuos*, De officio vicarii. (3. Vicarius temporalis seu amovibilis est et dicitur ille,

qui auctoritate legitimi superioris pro pergendo ecclesiastico servitio in locum alterius ad tempus, seu voluntatem constituentis sufficitur. Est in re Communis.

(4. Institutio vicarii perpetui pertinet ad ordinarium loci, quamvis regulariter ea fieri debeat ad præsentationem seu nominationem rectoris principalis, sive illorum, quorum dignitati, vel capitulo seu monasterio ecclesia parochialis est perpetuo unita et annexa. Barbosa *loc. cit.*, num. 35; Navarrus, consil. 11, *De statu monachorum*, n. 3 et 7; Garcias, *De benefic.*, part. IX, cap. 2, n. 289; Gallet, in *Margarita casuum conscientia*, verb. *Vicarius* 3; Riccius, in *Praxi fori ecclesiastic.*, resol. 358, n. 1, vers. 2; Ugolinus, *De offic. episcoporum*, cap. 50, § 3, vers. *Octavo*, Reiffenstuel, lib. I *Decretal.*, tit. 28, num. 26; Pirrhing, *ibid.*, num. 3, referentes sic decisum fuisse a sacra congregat. Concilii, ad sess. VII, cap. 7, *De reformat.* Et clare desumitur ex cap. *De monachis* 12, *De præbend.*, et cap. unic. *De capellis monachorum*, et Clementin. 1 *De jure patronat.*, ubi tales vicarii dicuntur institui per episcopum ad præsentationem rectoris principalis, vel hujusmodi.

(5. Et quod vicarius perpetuus non possit ab ordinario poni in monasteriis, quibus cura imminet animarum, vel a principio, vel ratione unionis et annexionis, sed tantum a superioribus eorum, prævio tamen examine ipsius ordinarii, statuit expresse S. Pius V. constitut. incip. *Ad exsequendum* ibi: « Volumus insuper, et ita mandamus, quod dicti vicarii perpetui, non ad liberam ordinariorum electionem, sed ad nominationem illorum, in quorum ecclesiis unitis ponentur, cum ipsorum ordinariorum seu eorum vicariorum prævio examine et approbatione deputentur. » Et sic pluries declarasse etiam sac. cong. Concil. referunt Garcias, *De benefic.*, part. IX, cap. 2, num. 294 et seq.; Barbosa, lib. III *Juris ecclesiastic. univers.*, cap. 6, n. 45, et supra concil. *Tridentini*, sess. VII, cap. 7, num. 28, et in *Summa Apostolic. dec.*, verb. *Vicarius perpetuus parochialis*, n. 9.

(6. Et talis Piana constitutio habet locum etiam, quando vicariæ vacant in mense reservato, seu cadunt sub alia reservatione. Sac. congr. Concilii, in *Tirasonensi Vicariæ* 13 Octobris 1595, apud Garciam, *loc. cit.*, n. 309, et Barbos. cit. lib. III *Jur. eccles.*, cap. 6, num. 45, subdentes quod in hujusmodi vicariis perpetuis vacantibus in mensibus Apostolicis, seu alias reservatis, possit fieri præsentatio, seu nominatio et deputatio, non obstante reservatione.

(7. Vicarius perpetuus potest, et solet potissimum institui in parochialibus seu beneficiis curatis, quæ cathedrali, collegiatæ vel alteri ecclesiæ, seu monasterio aut collegio, vel aliis piis locis perpetuo unita et annexa reperiantur. Colligitur ex cap. *Exstirpanda* 30, § *Qui vero*, *De præbend.*, et habetur expresse statutum in concilio *Tridentino*, sess. VII, *De reformat.*, cap. 7.

(8. Sunt tamen plures casus, in quibus

episc. nequit vicarium perpetuum deputare; primo, quando beneficium est unitum et annexum monasterio regularium: tunc enim episc. non potest deputare pro ejus servitio vicar. perpetuum, sed solum temporalem, et ad nutum amovibilem, ut declaravit S. Pius V, cit. constit. incip. *Ad exsequendum*.

(9. Secundo, quando a tempore immemorabili unio facta fuit, ac extunc constat vicarios fuisse ad nutum amovibiles, scientibus et consentientibus ordinariis, et nunquam vicarium perpetuum fuisse constitutum. Barbos., cit. lib. III *Jur. eccles. univ.*, cap. 6, n. 7; Sanchez, in *Præcepta Decalogi*, tom. II, lib. VII, c. 29, n. 191, vers. *Tertio fallit*; Flores de Mena, *Variat. qq.*, q. 10, n. 44; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 28; Pellegrin., *loc. cit.*, sub n. 19, et alii.

(10. Tertio, quando unio facta est per viam pacti et concordie a Sede Apostolica approbatæ cum clausula: « Ut deserviri possit in hujusmodi beneficio per vicarium ad nutum amovibilem: » Barbosa, *loc. cit.*, n. 8; Flores de Mena, *loc. cit.*, n. 41; Sanchez, *loc. cit.*, n. 191, vers. *Secundo fallit*; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 28; Pellegrin., *loc. cit.*, sub n. 19, et alii.

(11. Quarto, quando pro bono pacis et pro tollendis litibus, ac pro meliori beneficii servitio expedit per vicarium ad nutum amovibilem Ecclesiam gubernari. Barbosa, *loc. cit.*, n. 11; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 28; Sanchez, *loc. cit.*, n. 191, vers. *Quinto fallit*; Flores de Mena, *loc. cit.*, q. 10, n. 47, et alii, arg. cit. cap. 7, conc. *Trid.*, ubi id non reliquit liberæ episcopi voluntati, sed usum est verbis arbitrium boni viri denotantibus, ibi: « Nisi ipsis ordinariis pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur. »

(12. Quinto, quando ex privilegio remunerationis causa concessio beneficium est unitum cum clausula *ponendi vicarium ad nutum amovibilem*, quia in generali privilegiorum derogatione facta a *Tridentino* cit. cap. 7, non comprehenduntur privilegia remunerationis gratia concessa. Barbosa, *l. cit.*, n. 10; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 28; Flores de Mena, *loc. cit.*, q. 10, n. 46; Pellegrin., *loc. cit.*, sub num. 19; Sanch., *l. c.*, n. 191, vers. *Quarto fallit*, et alii.

(13. Sexto, quando ex privilegio Pontificio post *Tridentini* decretum concessio unitum est beneficium parochiale cum clausula *instituenti vicarium ad nutum amovibilem*, quia tale Pontificium privilegium post *Tridentinum* concessum derogaret dicto *Tridentini* decreto, cum posteriora derogent prioribus. *L. Sed et posteriores*, ff. *De legibus*, l. *Cum in plures*, § *Locator horrei*, ff. *Locati*, l. 1 in fine, ff. *De stipulat. servor.*, l. *Si unus*, § *Pactus ne peteret*, ff. *De pactis*, cum similibus. Barbosa, *loc. cit.*, n. 12; Flores de Mena, *loc. cit.*, q. 10, n. 49 et 50; Pellegrin., *loc. cit.*, sub n. 19, et alii.

(14. Vicario perpetuo debet assignari congrua portio de redditibus, fructibus et emolumentis provenientibus ecclesiæ incorporatæ monasterio, collegio, capitulo, univer-

sitati, et hujusmodi. *Vid.* verb. *CONGRUA*, n. 34.

(15. Talis congrua est taxanda arbitrio episcopi, habito respectu ad qualitatem personæ, loci et temporis, et ad abundantiam seu paupertatem fructuum et reddituum ecclesiæ; dummodo non sit minor quinquaginta, nec major centum aureis pro quolibet anno. *Vide* d. verb. *CONGRUA*, num. 35.

(16. Pro tali congrua assignari possunt solum illa emolumenta incerta, quæ habent quendam certitudinem, ut sunt decimæ frumenti, vini, olei, etc. Non autem emolumenta omnino incerta, ut sunt elemosynæ altaris, funeralium, et similibus. *Vide* verb. *CONGRUA*, a n. 11 ad 17, 36 et 37.

(17. Congrua semel sufficienter assignata non potest minui, quamvis vicarius electus et deputatus diminutioni consentiat, et pro minori quantitate spondeat deservire. *Vide* d. verb. *CONGRUA*, n. 40, 41.

(18. Unde vicarius perpetuus canonice institutus est vere beneficiatus, cap. *Postulasti* 27, De rescriptis, ibi: « Non enim beneficio carere debet dici, cui competenter de perpetuæ vicariæ proventibus est provisum. »

(19. Sicque vicarius perpetuus habet verum titulum, et potest ad dictum titulum ordinari, atque idcirco semel canonice institutus nequit removeri, vel portione sua fraudari, nisi forsitan aliquod committat delictum dignum depositione aut privatione beneficii, cap. *Ad hæc* 5, De offic. vicarii. Pyrrh. Corrad., *Prax. benefic.*, lib. III, cap. 9, n. 3.

(20. Imo nec potest removeri vel portione sua fraudari, etiamsi rector principalis moriatur, textu expresso in cit. cap. *Ad hæc* 3, De offic. vicarii.

(21. Hinc vicaria perpetua æquiparatur beneficio curato seu parochiali, et jura loquentia de beneficiis circa omissionem prioris per assecutionem alterius, et per non promotionem, et de eorum ætate, locum habent in hujusmodi vicariis perpetuis, textu expresso in Clementin. unic. *De officio vicarii*, ibi: « Quæ de ecclesiis curam animarum habentibus per receptionem aliarum similium amittendis: ac de ipsarum rectoribus promovendis ad sacerdotium; et de eorum ætate a jure statuta noscuntur, in perpetuis ecclesiarum parochialium vicariis, et assumptis ad eas volumus observari. »

(22. Unde sicuti non potest quis esse parochus simul, et semel duarum parochiarum, cap. *De multa* 28, De præbend., extravagant. Joann. XXII, *Exsecrabilis*, ita nec perpetuus vicarius, cap. *Provideas* 2, De officio vicarii.

(23. Item sicuti beneficium curatum seu parochiale vacat, ipso jure per alterius similis assecutionem, cit. cap. *De multa* 28, De præbend., cit. extravagant. Joan. XXII, *Exsecrabilis*, juncto concilio Tridentino, sess. VII, cap. 2 et 4, *De reformat.* Ita etiam dicendum est de vicaria perpetua, arg. cit. Clementin. unic. *De officio vicarii*, et cap. *Ad audientiam* 1, cap. *Provideas* 2, et cap.

Ex part. 3, De offic. vicarii, et ibi Fagnan., n. 22, testans de communi.

(24. Item sicuti nemo potest consequi beneficium curatum seu parochiale, ante XXV annum saltem inchoatum, cap. *Cum in cunctis* 7, § *Inferiora*, De electione, cap. *Licet canon* 14, eod. in 6, ita nec ante dictum annum XXV inchoatum vicariam perpetuam; cit. Clementin. unic. *De officio vicarii*, juncta Glossa communiter recepta, *ibid.*, verb. *Volumus*.

(25. Item sicuti de facto, si promotus ad beneficium curatum, seu parochiale infra annum non ascendat ad sacerdotium seu presbyteratum, vacat ecclesia ipso jure, textu expresso in cit. cap. *Licet canon* 14, De electione, in 6. Ita etiam vacat ipso jure vicaria perpetua, si intra annum non ordinetur promotus ad ipsam, cit. Clementina unic. *De officio vicarii*, juncta Glossa communiter recepta, *ibid.*, verb. *Volumus*.

(26. Item sicuti cæteri parochi, tenetur vicarius perpetuus residere in sua vicaria, textu expresso in cap. *Ex parte* 6, De officio vicarii.

(27. Nec potest alium vicariam perpetuam substituere, textu expresso in cap. *Clericus* 4, De officio vicarii. (28. Quamvis ob justam aliquam causam de licentia tacita vel expressa ordinarii possit ad modicum tempus substituere vicarium temporalem, committendo ipsi totum officium seu curam suam. Abbas, in cit. cap. *Clericus* n. 2; Layman, *ibid.*, n. 1; Summa Angelica, verb. *Vicarius*, n. 4, et Communis aliorum.

(29. Vicarius perpetuus in parochiali Ecclesia constitutus habet eandem potestatem, quam verus parochus, seu prælatus ac rector, ita tamen ut tota cura actualis, seu quoad exercitium, competat vicario; prælatus vero, seu rector principalis non nisi habitu curam retineat. Glossa Marginal., in cap. *Super eo* 6, verb. *Annexæ*, De præbend. in 6; Rota, decis. 2, *De officio vicarii in antiq.*; Seraphin., decis. 109, n. 5; Buratt., decis. 36, num. 1; Rota, in *Romana Vicariæ* 8 Novembr. 1621, coram Coccino decano, ubi fuit dictum, quod cum ecclesia S. Mariæ in Via Lata esset parochialis, et deinde S. Pius V in ea erexisset vicarium perpetuum, penes ipsum vicariam esse omnimodam curam actualem, habituale vero penes capitulum. Barbos., l. III *Jur. ecclesiastic. univers.*, cap. 6, n. 28 et sequentibus, eum pluribus ibi citatis; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 40, et alii plures. Unde quia in hoc sensu vicarius perpetuus dicitur habere curam animarum, non autem rector principalis, seu prælatus, ut recte advertit Barbos., l. c., n. 39, cum cardinal. Ancharan. ibi allegatis; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 42, et alii; (30. Hinc prælatus, seu rector principalis nequit ibi exercere curam fori pœnitentialis, nec invito vicario, illi Ecclesiæ deservire, seu sacramenta administrare. Abbas in cap. *Exstirpanda*, § *Quin vero*, n. 15, De præbend.; Rebuff., in *Praxi benefic. de vicariis perpetuis*, n. 1; Seraphin., decis. 106, n. 5; Ancharan., in cap. *Exposuisti* in

6, De præbend.; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 42; Barbos., *loc. cit.*, n. 31, post Rotam, in *Barchinonen. Vicariæ* 17 Maii 1624, coram Merlino, et sic plurimi alii.

(31. Vicarii perpetui in parochialibus capitulo, collegio, monasterio, seu beneficio vel ecclesiæ unitis, non sunt prævio concursu instituendi, sacra cong. Concil., die 28 Aprilis 1594, apud Garciam, in *Addit. ad suum tract. de benefic.*, part. IX, cap. 2, n. 294; Barbos., in *Summa Apostolic. decis.*, verb. *Vicarius perpetuus parochialis*, n. 12; (32. sed deputandi et instituendi sunt ad nominationem seu præsentationem illorum, quorum beneficio seu ecclesiæ, capitulo, collegio, monasterio parochiales sunt unitæ et annexæ, et non ad liberam ordinario- rum electionem. Sic expresse statuit S. Pius V, const. incip. *Ad exsequendum*, et pluries declaravit sacra cong. Concilii teste Garcia, *loc. cit.*, n. 294 et seq., et Barbos., cit. lib. III *Jur. eccles.*, cap. 6, n. 35 et 45, et Rota in *Gerunden. coram Ansaldo* 10 Decemb. 1696, ubi quod vicaria unita conferri debet ad nominationem ejus, ad cujus favorem facta est unio; non autem per concursum ab episcopo indicendum, nisi in bulla unionis expresse præciperetur, quod conferatur per concursum.

(33. Tales vicarii seu parochi etiam in Ecclesiis exemptis sunt prius examinandi et approbandi ab episcopo juxta dispositionem cap. *Per exemptionem*, De privileg. in 6. Sic declaravit sacra cong. Concilii in *Caputaquen.* 23 Junii 1629.

(34. Item episcopus potest examinare et approbare vicarios ecclesiarum parochialium unitarum et dependentium a religione Hierosolymitana, et debet eosdem vicarios, si idonei reperti fuerint, simpliciter approbare, non autem ad tempus, etiamsi sint temporales, nec potest pro libito eosdem subjicere novo examini. Sacra cong. Concilii in *Augustana jurisdictionis* 14 Decembris 1630. (35. Nisi superveniente nova causa et suspitione ignorantie, quia tunc poterit episcopus eosdem iterum examinare ad effectum cap. 6, sess. XXI, *De reformat.*, ut censuit ead. sac. congregat. Concilii, in *Placentina* 28 Augusti 1628, apud Barbosam, cit. cap. 6, n. 48 et 49, et *supra Tridentin.*, sess. VII *De reformat.*, cap. 7, n. 27.

(36. Vicarii perpetui ecclesiarum parochialium debent præcedere vicariis amovibilibus ecclesiæ cathedralis. Sac. cong. Rit., in *Verulen.* 16 Sept. 1616, apud Barbos., in *Summa, l. c.*, n. 2.

(37. Vicarii perpetui ecclesiarum parochialium in Ecclesia noviter erecta in cathedralem debent præcedere secundum ordinem receptionis, et non secundum ordinem dignitatis ecclesiarum, ut præcedebant ante erectionem in cathedralem. Sac. cong. Rit., in *Ripana* 28 Aprilis 1607, apud *loc. cit.*, n. 3.

(38. Vicarii perpetui ascripti servitio Ecclesiæ cathedralis, licet prius incederent sub cruce Ecclesiæ collegiatæ, tamen post ascriptionem debent incedere sub cruce ca-

thedralis, cui inserviunt. Sacra congreg. Rit., in *Maceraten.* 27 Septem. 1608, et 11 Martii, apud Barbos., *loco citato*, num. 4.

(39. Vicario perpetuo Sancti Joannis Lateranensis debetur præcedentia super cæteros etiam rectores perpetuos parochialium Urbis. Sacra cong. Rit., in *Romana* 13 Junii 1603, apud card. Petram tom. I *Commentar. ad constitut. 2 Paschalis* 11, n. 45.

(40. Vicarius perpetuus abbatie debet subire omnia onera respicientia curam animarum et administrationem sacramentorum; cætera vero omnia ad abbatem seu commendatarium ejusdem ecclesiæ spectant. Sacra congreg. Concil., in *Eugubina* 11 Maii 1594, apud Barbos., *loc. cit.*, num. 8.

(41. Vicarius temporalis seu amovibilis, vere et proprie non est beneficiatus. *Communis* per text. in cap. *Pervenit* 27, De appellat., cap. *Cum ex eo* 34, De electione, in 6 et Clementin. unic. *De officio vicarii*, juncta Glossa, *ib.*, verb. *Perpetuis*. Vicarius enim temporalis, et ad nutum amovibilis nullum habet titulum in beneficio, neque in eo perpetuo investitur, nec potest ob id ordinari in sacris, sed potest ad libitum constituentis removeri, quia, ut dictum est *supra* n. 3, vicarius temporalis seu amovibilis est ille, qui auctoritate legitimi superioris pro peragendo ecclesiastico servitio in locum alterius ad tempus, seu voluntatem constituentis sufficitur. Cum vicaria temporalis sit illa, quæ ad tempus, non in perpetuum duratura est, puta cessante causa vel lapso tempore, ob quam, vel usque ad quod talis vicaria concessa est; unde non est beneficium, sed simplex salarium seu stipendium. Barbos., c. lib. III, cap. 6, n. 58; Garcias, *De benefic.*, tom. I, part. I, cap. 2, n. 93; Gonzalez, ad Regul. 8 Cancellar., glossa 5, § 3, n. 55; Pellegrin., *Prax. vicariorum*, part. I, sect. 8, n. 22, et Communis aliorum.

(42. Causæ, ob quas potest fieri deputatio vicarii temporalis seu economi ad nutum amovibilis, sunt præsertim sequentes. Prima est, quando rector legitime habet duas parochias, nec potest per se solum in utraque commode deservire, cap. *Et temporis*, caus. 16, q. 1. Secunda, quando rector est nimis occupatus, cap. *Ad hæc*, De officio archidiaconi, cap. 1, *De celebratione missar.* Tertia, quando rector justa de causa abest, vel est legitime impeditus, cap. *Relatum*, De cleric. non resident., cap. *Pervenit*, De appellat., cap. *Cum ex eo*, verb. *Porro*, De electione, in 6, can. *Non oportet*, De consecrat., dist. 5, concil. *Trid.*, sess. VI, *De reformat.*, capit. 2, sess. VII, capit. 5, et sess. XXI, cap. 6. Quarta, quando rector ægrotat, c. 3 et tot. tit. *De cleric. ægrotante*. Quinta, quando rector devotionis, seu voti causa peregrinatur cap. final. *Devoto*. Sexta, quando rector est minus idoneus, seu non intelligit linguam populi parochiæ seu nationis, cap. *Cum vos* 4, De officio ordinarii. Septima